

strueret. Nihil plus sapit, qui uxorem suam indigne tractat. Eam enim, ut ibidem subdit Chrys. *Si perturbatione et tumultu impleveris, tibi ipsi longe gravius strues naufragium.*

II. Patienti animo ferat ejus defectus, et si quæ habeat vitia; quemadmodum et nauclerus non moleste fert fœtorem, qui ex pice et sentina navis oritur, ejusque nares infestat, quia nimirum attendit ad proventum, quem ab onusta mercibus navi expectat. Simili in causa interpellatus aliquando ab Alcibiade Socrates, quod uxoris suæ Xantippes querulam morositatem tamdiu sustineret, ei respondit: *An tu domi tuæ non toleras gallinas crebro glaciens? Tolero, inquit Alcibiades, sed ova mihi pariunt et pullos. Et mihi, ait Socrates, mea Xantippe parit liberos, Laert. in vita. Huc etiam spectat, quod S. Chrys. hom. XXVI. in I. Cor. scribit: « Fertur, inquit, quemdam externorum philosophorum, cum uxorem haberet pravam, et temulentam, et interrogaretur qua gratia ejus mores toleraret, respondisse: Ut gymnasium et palæstram philosophiæ domi haberem. Ero enim, inquit, cum aliis mansuetior, cum in ea quotidie toleranda erudiar. » Post hoc subjicit vir sanctus: « Multum ego doleo, quod gentiles nobis sint sapientiores, nobis inquam qui angelos imitari jubemur vel potius ipsum Deum per mansuetudinem. » Præter hoc considerandum est, quod idem s. pater ibid. scribit: *Incitat mulier inquis. Verum considera mulierem debile vas esse: tu autem vir propterea princeps factus es, et capitis loco datus, ut subditæ feras imbecillitatem.* Nonne magnum dedecus viro est, si cum muliere rixetur? Viro forti, si cum puero? Nonne is cachinnis spectantium se exponeret? Vidit hoc gentilis Socrates. *Cum enim uxor in publico pallium ei detraxisset, et familiares admonerent, ut injuriam manu ulcisceretur: Pulchre inquit, nimirum ut nobis colluctantibus acclametis: Eia Socrates, eia Xantippe, Laert. in vita. Profecto fœdum esse, si hoc indecorum, quod gentiles apprehenderunt, Christiani non apprehenderent. Non ergo ducat uxorem, qui nescit condescendere, non suscipiat gubernacula, qui non fert sentinam navis.**

III. Ignorantem instruat ac dirigat, exerrantem suaviter admoneat et seducat: quod si illa gravius delinquat, verbis asperioribus emendet. Sic enim et navis gubernaculo dirigenda, et a scopulis deflectenda: cumque imperium navarchi non admittit, anchoris sistenda et coercenda est. Imprimis ex consilio D. Chrys. hom. XX. in ep. ad Eph. docet eam: *Nihil in vita esse terribile præterquam Deum offendere.* Item, doceatur quod paupertas nullum sit malum. Doceatur despi-

cere gloriam. « Et nihil hujusmodi dicet mulier, nec concupiscet. » Et mox: « Suadeat, ne sit ei aurum pendens ex auribus, nec eam induatur in genis et collo, nec id repositum habeat in thalamo, neque vestes aureas et sumptuosas: sed sit quidem elegans ornatu, sed non ad probrum et contumeliam recidat elegantia. » Et ho. XXVI. « Quando aliquid molestum domi evenerit, quod ea peccarit, consolare, nec auge dolorem, etc. » Et infra: « Si contigerit non bonam neque tolerabilem domum duxisse sponsam, tunc suadeo eam omni ex parte componere, et nihil eorum objicere. Nam mercator quoque priusquam cum socio pacta conventa fecerit, quæ possint pacem conciliare, non prius navem deducet in mare, neque aliam attinget negotiationem. Et nos ergo omnia agamus, ut negotiationis nostræ vitæ sociam et hujus navis cum omni pace intus teneamus. » Exemplo est Tobias, qui uxoris insultationem patienter audiens silentio pressit et gemitu, Tob. II.

Rursum quando nimiam de ejus adegato filio sollicitudinem increpuit, illis minime acerbis verbis: *Tace et noli turbari, sanus est filius noster, satis fidelis est vir ille cum quo misimus eum, Tob. X.* Similiter et Job. qui conjugem impia suadentem gravius reprehendit, uti merebatur: *Quasi una de stultis mulieribus locuta est. Denique hoc ipsum et cum nave nauclerus ait, cum rimas agit, aut alicubi perforata est, non eam dissolvit, sed reparat et foramina obstruit, rimas occludit. Ita agendum cum uxore præcipit S. Paulus ad Eph. V. Nemo enim unquam, ait, carnem suam odio habuit, sed fovet et nutrit eam: quin etiam cum infirmatur aut læditur, medicinis licet asperis et emplastris quoque mordacibus reducit ad sanitatem.*

IV. Magnam erga ipsam habeat confidentiam committendo ei claves domus et rem familiarem: non admittendo facile suspicionem de ipsius fide: permittendo ei libertatem ad peragenda sua munia. Hunc in modum nauclerus committit navi merces, et quam vehit secum familiam suam, tamquam solidæ et bene compactæ, armamentis quoque et necessariis rebus instructæ! Hæc talis confidentia uxorem animabit, incitabitque ut magis strenue rem gerat, et virum plus diligat, magisque ei fidelis sit. Testem advoco Salomonem, qui cum Prov. XXXI. fortem et industrem mulierem exoptasset, subdit mox: *Confidit in ea cor viri sui, et sociis non indigebit, q. d. si vir tali conjugi confidat, et habenas ad curandam rem domesticam permittat, nec de fide temere suspectam habeat, sentiet enim tam industrem ac strenuam, ut non*

habeat opus apud castra mœreri et spolia quærere. Italico proverbio navis ita nauclerum alloquitur: *Salvami dalla terra, e ti salverò dall' onde, h. e. serva me a terra, scopulis scilicet brevibus, arenosis et vadosis locis, et ego te servabo a submersione et naufragio. Sic etiam dicere licebit viro. Noli uxorem zelotypia et diffidentia impellere in mœrorem et pusillanimitatem: et ipsa non impellet te in ruinam, sed potius servabit et augebit tibi rem familiarem. Unde mox addit Salomon: *Reddet ei bonum et non malum omnibus diebus vitæ suæ.* Quantum vero possit industria uxoris, idem Salomon, Pr. XIV. edixit verbis illis: *Sapiens mulier ædificat domum, insipientis extructam quoque manibus destruet.* Hujusmodi fuit Anna Gandula Uladislai, Hungariæ et Boemiæ regis conjux, quæ viro parum ad opes parandas attempto sua industria abacum totum aureum, suppellectilemque omnem ex auro et argento præparavit, apud Dubran. I. XXIII. Cæterum observandum, quod monet Ecclesiast. ne seipsum maritus subjiciat, et concredat suæ conjugi. *Mulier odibili, inquit, non credas te in toto corde tuo, Eccl. c. VII. et IX. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris.* Idipsum observat nauclerus, tametsi enim navi credit et committit merces suas, velut solido et bene compacto vehiculo, seipsum tamen non ita credit ut merces, projiciendo nimirum se in navim et dormiendo. Non, sed vigilat et attendit navi, nec sinit eam qua venti et fluctus impellunt, pro impetu suo ferri. Quod si fecissent Adam, Samson, Salomon, neque adeo temere se et salutem suam uxoris commisissent, non se perdidissent.*

V. Bono eam exemplo ad sui imitationem invitet. Sic nauclerus in prora tenens gubernaculum, seu temonem, quamlibet in partem flectit navim et reflectit. Documentum hoc tradit viro Aristoteles, in æconomicis: *Si mulier, inquit, cognoverit sibi castum et fidum virum, ipsa etiam casta et fida erit.* Idem confirmat S. Chrys. hom. XX. in ep. ad Ephes. « Etsi, inquit, inverecundior sit puella, scit ad tempus silere, mariti mota reverentia, et rerum quibus non assuevit novitate. » Et infra: « Quomodo autem non solves pudorem (uxoris) quando cerneris ipse non minus, quam illa erubescens, pauca quidem loquens, eaque cum gravitate et animadversione. » Plutarcho teste, imperium mariti in uxorem hujusmodi est, quale est animi in corpus. Quis autem nescit corporis membra adamussim se conformare animi imperio et propension? Idem vir sapiens dicebat: « Ut rex musicæ studiosus complures reddit musicos; litterarum studiosus doc-

tos; aleator aleatores; rapax rapaces: ita vir compactus similem reddet uxorem; voluptuarius incontinentem; castus et sobrius castam et sobriam. » Exemplum accipite a viro nobili Croata, qui duxerat nobilem itidem feminam, Styram, in prædio Styriaco Stainhoff dicto habitantem, sed Lutheranæ sectæ addictam. Hæc cum diebus esurialibus pro more Lutheranorum carnis vesceretur; maritus velut catholicus a mensa ejus abhorruit, et illa quidem sedente ad mensam, ac maritum ridente, ipse sibi cibos esuriales absque carnis nimirum afferri jussit, et in limine ostii domestici sedens, solus comedit, quod religio catholica permittit. Visa tandem mulier hac mariti tam constanti religione, cogitare cœpit, sanctam oportere esse religionem catholicam, pro qua observanda maritus tantam subeat abjectionem, exeraque fervorem, et humi potius sedere et vili edulio contentus esse velit, quam prohibitis cibis, fidei catholice maculam aspergere. Quare manus dedit, et eandem, quam vir tenuit religionem, amplexa est, in eaque se tam strenuam præstitit, ut prædium suum studiosæ juventuti Græcii legarit. Id quod a viris fide dignissimis relatum mihi accepi, cum in prædio illo per octo dies degerem. Ecce quid non potest virtuosum mariti exemplum ad trahendam consortem! Esto igitur sponse nauclerus, esto sponsa navis: ita fiet ut in domum vestram afferatis panem et corpori et animæ salutarem.

CONCIO XXIV.

PAR COLUMBARUM TYPUS CONJUGUM,
EX LEVIT. C. XII.

Quemadmodum puerulis, cum incipiunt legere litteras, tabella in manus datur, in qua varia descripta sunt vocabula, paulo difficiliora; quæ ut facilius legere ac pronuntiare discant, appictæ sunt res illæ, quæ vocabulis significantur, v. g. columba ipsis nota, ut ignotum addiscant columbæ vocabulum exprimere. Difficile prorsum nomen est matrimonium, quod hominem ita alligat ad unam conjugem, ut cum ea cohabitare semper usque ad mortem obligatus sit. Grave certe jugum, grave est hoc conjugium. Id tamen ut facilius ferre discant ii, qui hoc jugum subeunt, appinxit eis Deus et ob oculos posuit typum illius, columbas, quæ, cum et ipsæ in conjugio vivant et pacatissime, æstinatæ sunt a Deo ad nostra domiciliæ, ut in illis habitent et conjuges edoceant, inquilinæ suæ hospites, qua ratione et ipsi in conjugio suo pacate vivere

queant. « Columba enim, inquit D. Chrys. in ser. de Spir. s. III. animal est, quod præ omnibus volatilibus cœli homines amat, et contubernale est, ac mansuetum, innocensque et fecundum et domesticum, quod versatur, quiescit et habitat in domibus nostris. » Nec solum in columbaribus sub tectis domorum, verum etiam inter ipsos homines, et cum illis habitare assuescunt. » « Seque ad pedes horum huc et illuc magna consuetudine ac familiaritate versant, » inquit Elian. I. III. de anim. c. XLV. Utique in eruditionem conjugum siquidem et sponsa illa cœlestis appellatur a sponso *columba*, Cant. VIII. *Una est columba mea*. Eoque spectare videtur, oblatio duarum columbarum pro filio primogenito offerendarum, Lev. XII. velut pro primo conjugii fructu. Hujusmodi gratissimum munus offerent Deo neonymphi nostri, si in suo connubio columbarum virtutes connubiales fuerint imitati. Quas nunc expendemus.

I. Columbæ, mas et femella mutuo se amore maxime prosequuntur, nec solum servant fidem, sed etiam simul fere gradiuntur, sibi que assident. Docent igitur conjuges non solum amorem mutuum et fidem thori servandam, sed etiam cohabitandum eis esse, ita ut alter alterius absentia alterum exponit libidini et domum suam prostibulo. Ita enim procax illa mulier parabolica, Prov. VII. loquitur invitans in domum juvenem: *Veni, inebriemur uberibus, et fruamur capitis amplexibus, donec elucescat dies. Non est enim vir in domo sua, ab illo via longissima, etc.* Norint ergo conjuges mulierem ex viri latere creatam, ut quasi a latere ipsi adesset semper. Deinde quod in Latino textu habemus in *adjutorium simile sibi*, in Hebr. habere *kenegdo*, quod sit *coram ipso*. Unde Chaldæus sic exponit: *In sustentaculum, quod sit penes ipsum*. Procul igitur ac diu ab invicem ne absint; nisi se et conjugem conjicere in periculum velint. Nonne Eva ubi a viro secessit incidit, velut columba solitaria in milvum, cum a serpente seducta est? Nonne Bethsabæe uxor Uriæ, absente procul marito, in oculos Davidis incurrit, et pudicitie naufragium fecit? Nonne Susanna uxor Joachim, dum extra mariti conspectum se lavat in pomario, periculum pudicitie adiit? Denique quod absenti in monte et cum Deo agenti Moysi contigit, et subditi ejus in scelus prolapsi vitulum adorarent, hoc idem accidere viro, cum diutius abest a conjugē sua, asserit D. Chrys. in hom. de egressu suo. Caveat ergo mulier imitari lunam, quæ absente sole gratiosam ac lætandam sese ostendit: ad solem vero accedens luc-

tuosam induit vestem, quasi ab ejus oculis abscondere se velit.

II. Pudicitie ac munditiæ valde studiosæ sunt. Unde Cant. V. sponsa illa, et: *Columba et immaculata vocatur: Aperi mihi soror mea, columba mea, immaculata mea*. Certe nidum suum columbæ a sordibus expurgant, pennas ac plumas suas rostro componunt, lutosæ terræ non insident, multo minus cadaveribus. Ad hæc ut Plin. lib. X. ca. XXXIV. scribit: *Pudicitia illis prima est, et neutri nota adulteria*. Porro a Romanis pudicitia teste Pierio, in hierogl. velata facie pingi, sculpique solebat, et apud alios testudini æquiparata fuit; quod pudicarum sit sese continere, et frequentia loca omnia declinare. Quod si propterea nomen ejus in civitate vel oppido fuerit ignotum, nihil hoc ejus honori officiet, sed plus decoris afferet, teste quodam philosopho, qui interrogatus quodnam esset bonæ mulieris nomen: « Præstantius, respondit, mulieris nomen et clarior fama, est nullum nomen, nullamque famam habere: addiditque illam meliorem esse ab omnibus judicandam, quæ a paucioribus cognosceretur, excellentiorem ejus notitiam esse, si ab omnibus ignoretur. » Pro speculo proponant sibi mulieres Juditham: *Quæ in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata*. Ex quo apparet, quod non solum tempore viduitatis suæ, sed etiam vivente marito secreti amans fuerit, uti observat ibi P. Nic. Serarius. Neque minor iis adhibenda cura est, ut caute simul et caste cum consortibus conversentur, memores verbi apostol. ad Hebr. XIII. *Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus*, h. e. in omni re et occasione servent honestatem, neque conjugem ulla in re confundant, aut dedecore aliquo afficiant. Ruborem haud dubie non exiguum injecit optimo viro Isaac, quando objecit ei rex Abimelech, visum esse a se *ludentem*, h. e. ridentem et jocantem cum uxore sua, Gen. XXVI. tametsi risus ille aut joculario peccato carere poterat. Erubuit etiam S. Ludovicus Gallie rex, quando paulo licentius in thalamo suo agere cum conjugē a matre superveniente visus est, uti refert P. Balingham, in sua zoopædia. Quid? Censor Romanus M. Cato C. Manlium senatu amovet, quod uxorem præsentē filia deosculatus esset, uti refert Lud. Vives, l. II. de christ. femina. Quid dicent hic christiani conjuges, si tantam pudicitiam videant in gentilibus? Nimirum, sicut columba sedens ad fluentia umbra etiam accipitris conspiciens in aquis, terretur et mox avolat: ita et

vos viri. *Ab omni specie mala abstinete vos*, Thess. V.

III. Felle carere dicuntur vulgo; vel si aliquod habent, loco abscondito, aut exiguum habent; siquidem anatomici id non deprehendunt. Fellebilis et iracundiæ, quæ columbis aut certe minima est, sedes et typus est, ob amaritudinem quæ accendit bilem. Hoc felle careant conjuges, aut si natura ad bilem proni sint, abscondere saltem id contentur. Id imprimis viris præcipit apost. ad Col. III. dicens: *Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas*. Idem conjugibus documentum dedit antiqui, fide destituti: dum in sacrificiis Junonis, quam nuptiarum præsidem credebant, victimam sine felle immolari volebant: *Ut ostenderent absque ira et odio et amaritudine matrimonium esse oportere*, inquit Euseb. l. III. de præc. evang. c. I. Et cur Deus ex ipsa Adami carne, non ex alia materia effinxit ei conjugem? Respondet S. Chrys. hom. XX. in ep. ad Ephes. *Ne tanquam alienæ ei adhiberet animum*. Suam enim carnem quomodo odisse posset. Et cur e dormientis Adæ latere Evam formavit? Utique ne cum aliquo doloris sensu auferretur, ex quo postea rixarum occasiones inter conjuges nascerentur, ut dicere Adam Evæ posset, quod Jacob ad Ruben dixit, Gen. XL. *Tu principium doloris mei*. Videant igitur illi, ut fel amaritudinis odii et iracundiæ vel omnino deponant, vel saltem recondant: vir consulenti aut postulanti aliquid uxori nihil facile denegat: uxor inconsulto aut invito viro nihil aggreditur. Sic inter se convenerunt Eleana et Anna, I. Reg. I. Anna videns ascendere virum cum omni domo in Silo, ait viro suo: *Non vadam, donec ablactetur infans*. Quare non prius interrogas virum? Quid si is te ascendere jubeat? At is, ne litem uxori moveat: *Fac*, inquit, *quod bonum tibi videtur*. Sara contra ancillam excandescens postulat a viro, ut ancillam jam in uxorem ductam ejiciat e domo. Quid Abraham uxori? Alapamne infligit, aut verbum asperum reddit? Nequaquam, sed: *Ecce ancilla tua in manu tua est, dixit, utere ea ut libet*, ne videlicet discordia, si negaret, in domo oriretur. *Hæc in uxorem indulgentia pace replevit domum*, ait S. Chrys. hom. XXXVIII. in Gen.

IV. Columbæ non indignantur, neque se opponunt, cum auferuntur eis e nido pulli, femellæ etiam imperiosos mares, et subinde iniquos ferunt, ut ait Plin. l. X. c. XXXIII. Docent ergo conjuges non indigne ferre, cum adversis rebus premuntur, et charissima quæque per summam etiam injuriam ipsis rapiuntur. Denique cum unus ab alterius conjugis aspero ingenio vexatur et tri-

bulatur. Cum enim hic status indissolubilis plurimis expositus sit oneribus, ærumnis et calamitatibus, nihil aliud superest, nisi ut cum abbate illo Nesterone, ingressuro monasterium, dicant sibi ipsis: *Deinceps tu et asinus unum estote. Sicut enim asinus vapulat et non loquitur, injuriam patitur, et non respondet: sic et tu*, in vilis pp. l. V. c. XV. Asellus ad quævis onera portanda paratus esse debet; ita plane et conjux. Hinc forte consuetudo illa invaluit, fuitque tempore S. Chrys. etiam inter Christianos Græcos, ut cum sponsa deduceretur in domum sponsi, liceret omnis generis probra et convicia per publicas plateas conjicere in illos. *Hæc quæque visio lea est*, inquit hom. XII. in I. ad Cor. *fugitivi et mastigia et perniciosi homines secure et cum summa licentia dicunt, quæ volent et in sponsam, et in eum, qui est cum illa habitaturus, etc.* Quæ quidem consuetudo merito reprehenditur ibid. a S. Chrys. Videtur tamen fuisse instituta ad eum finem, ut addiscant conjuges aptare humeros suos ad quævis onera et probra in statu conjugali fortiter exantlanda. Quam vero fortis esse uxor ad ferendos mariti asperos mores debeat, idem vir sanctus tradit, hom. XVI. in I. ad Cor. his verbis: « Qui amat amantem, nihil videtur magnum facere. Qui autem eam, qui odit, observat et colit, is est maxime, qui coronatur. Eodem modo tu quoque reputa: quod si gravem et importunum maritum tuum tuleris, præclaram accipies coronam. Sin autem mitem et mansuetum, ejusnam rei tibi dabit Deus mercedem? Hæc autem dico, non jubens maritos esse sævos et asperos, sed suadens mulieribus, ut sævos et asperos, ferant maritos. » Hæc ille.

V. Lavant sese in pluviali aqua, et pulveribus conspergunt, quo se a pulicibus et omni labe, quam impense oderunt, emundant, teste Arist. l. IX. hist. anim. cap. XLIX. Hoc idem studium quoad animæ labe tergendas conjugum esse decet: ut per sacram confessionem et synaxin frequenter, vel subinde saltem cum pluvia festiva alicujus solemnitatis de cœlo ad nos mittitur, animos suos a sordibus, quæ in terreno pulvere non possunt non adhærere, expient. Id enim indicat S. Paulus, I. Cor. VII. cum hortatur eos ad continentiam subinde servandam, ut vacant orationi. *Nomine orationis vero*, ait Estitius illic, *arbitror apostolum comprehendere voluisse etiam sacrificium eucharistiæ*. Cui accedit S. Ambros. in eum locum scribens: *Conjugibus consilium dat*, inquit, *ut ad ipsum Dominum revertantur, abstinentes ab uxoribus suis, ut possint dignius accipere corpus Domini*. Gaudent columbæ, cum pluit, ut habeant, quo se lavent: gaudeant etiam

conjuges, cum solempne aliquod festum advenit, quo suas ad Deum preces fundere, eique se unire et in pulvere pœnitentiæ volutare queant. Considerent, quid egerint primi nostri parentes postquam agnoverunt per peccatum se esse nudatos et fœdatos. Nonne consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata ad tegendam nuditatem suam? Atqui hoc fecisse eos in signum pœnitentiæ et foliis ficuum, quasi cilicio carnem castigasse, censet S. Irenæus martyr. l. III. c. XXXVII. siquidem folia ficus aspera pungunt carnem et stimulant. Unde inducit Adamum sic loquentem: *Quoniam sanctitatis stolam amisi per inobedientiam, et tunc cognosco, quoniam sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem et pungit corpus.* Postea Deus rursus ad pœnitentiam eos agendam admonens, fecit eis tunicas pelliceas; utique angelorum ministerio ex mactatis animalibus detractas, et villosas ad puniendam et vexandam carnem, quæ deliquerat; quia: Talibus, inquit Origenes, l. VI. in Levit. oportebat indui peccatorem, quæ essent mortalitatis quam primo peccato acceperat, et fragilitatis ejus, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium. » Neque solum pœnitentiæ, sed et mortis, quam incurrerant, per has mortuorum animalium pelles commonere eos voluit, ut in carnis voluptates sese non immergerent, memores mortis suæ, quæ ipsis pellem detrahet. Primorum ergo conjugum exemplo, posterorum eorum, si quando et ipsi vetitum aliquod peccati pomum degustarunt, sequantur pœnitentes, qui secuti sunt errantes: castigant carnem suam; abluant cum columbis maculas in lavacro pœnitentiæ; voluent se in pulvere imminenti a tergo sepulcri, et non facile peccabunt.

CONCIO XXV.

NUPTIÆ ANTIQVORVM NOSTRIS IN EXEMPLVM
PROPONVNTVR.

Non vane crediderunt veteres, ita nobis magna successiva esse negotia, sicut ea inchoaverimus: et quale esset initium, talem fore progressum et finem. Unde illud fluxit adagium: *Dimidium facti, qui bene cepit habet.* Magni res momenti est status conjugalis, quem proinde magna cum cautela et consideratione instituta publica nuptiarum solennitate antiqui inceperunt. Et imprimis Tobias junior, qui una cum sponsa sua triduanas nuptiis suis preces præmisit, deinde convivium instituit, Tob. VIII. Ipsi etiam gentiles Romani non sine captatis prius

auguriis celebrabant nuptias, teste Val. Max. l. II. c. I. Ergo ipsas nuptias fore bonum omen arbitror, si cum Deo captæ et celebratæ fuerint. Hæ etenim uti initium sunt conjugalis status, ita quoque et omen erunt felicitis eventus. Quod ut fiat, proponam vobis exemplar antiquorum, ut secundum illud nuptias vestras instituere possitis.

I. Invitabant illi ad nuptias amicos et vicinos, qualescumque illi essent, seu divites seu pauperes, non habito respectu aut opum, aut dignitatum personarum. Ita Laban ille: *Vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias genero suo Jacob, Gen. XXIX.* Similiter Raguel ad nuptias Tobie paravit epulas omnibus amicis cunctisque vicinis, Tob. VIII. Et hoc, ut invitati amici et vicini partim testes nuptiarum essent, partim novo vinculo adstringerentur novis conjugibus; ad opitulandum illis in quacumque necessitate. Viderunt enim vitam conjugalem ope amicorum carere non posse, et si adversos habeat amicos et vicinos, plurima passuram: illos ergo sponso conciliandos esse convivio nuptiali, et contracta in eo amicitia. Errant his temporibus multi in hoc puncto, dum fere opulentos solum et prænobiles viros invitandos putant, spem in illorum donis, vel in opibus et potentia reponentes: sed fœde multoties decipiuntur. *Nolite confidere in principibus, in quibus non est salus,* ait Ps. CXLV. Captat miser sponsus majus aliquod donum a divite, quam ab amico paupere: sed postea ab illo deseritur et cogitur ad hunc recurrere. Præstat amicitia donis. Malo habere creditorem, qui et mihi debet, quam debere ei, qui mihi nihil obligatur. Melior mihi est vicinus et amicus, qui mea indigebit aliquando, vel indigere potest ope, quam is, qui non egebit. Sed mundus nunc ita constitutus est, ut præsentibus tantum rebus gaudeat, futuris non provideat: potentum dumtaxat atque divitum querat amicitiam, plerumque fallacem et periculosam. Cœlestis ille sponsus dum a pedibus ad caput usque laudat sponsam suam Ecclesiam, ejus ventri hoc encomium dat: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Per Ecclesiæ ventrem intelliguntur conjuges, uti sentiunt Anselmus Richardus de S. Viet. et S. Damianus, quia venter sedes est generationis, et domicilium natorum. Sed quando ei bene provisum est de tritico, seu alimento? Quando vallatus est liliis. Cur liliis, et non potius hastis aut hastatis? Lilia intelligo agrestia, seu flores agrestes, de quibus loquitur Dominus, Matth. VI. *Considerate lilia agri.* Ea quidem debilia sunt, tritico tamen vicina et commixta, adeoque instar valli et munimenti contra ventos

et gelu sunt. Ita boni amici et vicini, tametsi parum facultatum et auctoritatis habeant, plus sæpe commodi nobis præstant, quam valde opulenti et præpotentes, a nobis alieni et remoti.

II. Adhibeant moderamen in pompa et convivio nuptiali. Causam hujus convivii adfert Athenæus, l. V. « Moribus, ait, et legibus sancitum est, ut in nuptiis epulum fiat; tum nuptiales deos ut veneremur, tum ut pro testimonio id sit, » convivis scilicet, quod nuptis placeant suæ nuptiæ. Laudabant itaque, et precabantur deos suos, ut prospera nuptis tribuerent; ipsos vero conjuges datæ fidei admonebant per epulum nuptiale, quasi mactata pro fœdere hostia. De moderamine autem pompæ in gentiliū nuptiis profert Plato legem, lib. VI. de legibus: « Impensa secundum divitias fiant; bibere vero usque ad ebrietatem, ne alibi quidem unquam decet. Neque vero tutum est. Maxime vero convivio conjuncti, sponsus et sponsa, tunc mentis compotes esse debent, quando non parvam ineunt vitæ mutabilitatem, etc. » In sponsalibus Tobie junioris, præcepit Raguel socer, occidi arietem et parari consilium, Tob. VII. post contractas nuptias ad epulum nuptiale duas pingues vaccas et quatuor arietes occidi fecit, Tob. VIII. Hic totus apparatus fuit pro omnibus vicinis cunctisque amicis, ut ibi dicitur: nullæ hic deliciæ, nulla bellaria, nulla exquisita fercula. In convivio nuptiali, cui interfuit Christus in Cana Galilææ, modicum vini appositum fuit, quando ejus defectus cito valde apparuit: ac nisi Dominus miraculo vinum suppeditasset, sitibundi hospites e mensa surrexissent. Sed neque post ministratum, et quidem optimum vinum, ulla intemperantia consecuta est. Etenim architriclinus novit adhuc discernere urnam, quod ebrii non possunt: et discipuli Christi crediderunt in eum. Non ita fit in nuptiis hujus temporis, ubi, paucis exceptis, nemo sobrius abit: ubi convivium extenditur ad quinque, ad sex horas, et plerumque ad multam noctem producitur fere in computatione sola. Idem videre est in ornatu corporis, et pompa vestimentorum, in quæ tam multa sæpius expenduntur, ut vix toto vitæ decursu recuperari queant, adeoque demum vestes nuptiales rursus vendendæ, ob contracta debita, quandoque et ipsa domus atque arces alienandæ sint. « Licet aliis, inquit D. Chrys. hom. XII. in ep. ad Coloss. exhibarare nuptias, utpote lautis mensis et copiosis vestimentis. Hæc non amputo, ne videar valde agrestis; quamquam Rebeckæ sufficit solum theristrum, » h. e. peplum seu flammeum. Noster legit pallium, Genes. XXIV. sed non amputo. Licet exhibarari

vestibus, licet præsentia venerandorum virorum et reverendarum mulierum. » Et infra: « Quando es facturus nuptias, ne domos obeas, specula et vestes commodato accipiens. Res enim non fit ad ostentationem, neque filiam adducis ad pompam, sed iis, quæ in ea sunt domum exhilarans, voca vicinos et amicos et cognatos. » Sic ille. Denique experientia multorum annorum didici, male communiter cessisse, atque in dissidia et divortia vel pauperiem similesque calamitates desiisse nuptias illas, quæ supra nuptorum opulentiam nimia pompa et splendore fuissent celebratæ.

III. Magna cum honestate et modestia nuptias peragebant, et epulum sumebant. In sponsalibus Tobie junioris *epulati sunt benedicentes Deum,* Tob. VII. Postea, c. IX. *Cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.* Quis hæc audiens non doleat, cum nostrorum genialia epula spectat? Rursum: « Nuptiæ apud Judæos, inquit D. Gaudentius episcopus Brixienis, tract. IX. cum fierent, unus (quantum traditione comperimus) dabatur de sacerdotali ordine, qui morem disciplinæ legitime gubernaret, pudorisque curam gereret conjugalis. Simul etiam conviviorum apparatus ministros, atque ordinem dispensaret, et pro hoc officio architriclinus, id est, triclinii præpositus dicebatur. » Talis ille fuit, qui in nuptiis Canæ vinum ex aqua factum primus degustavit, ac laudavit; qui si adhuc nostrorum nuptialibus epulis advigilaret, tam multi tamque graves excessus non contingerent. Adhibentur sæpe in nostris nuptiis scurræ et moriones, qui suis cantilenis vitia considentium perstringunt, et spurca quæque effutiunt ad risum concitandum, non absque rubore et confusione honestorum virorum et puellarum: utque satis genio indultum est, surgitur a mensa, uti concessum fuit, h. e. sine benedictione et gratiarum actione, et pergitar ad choreas, ferme eo modo, quo in castris Hebræorum, Exod. XXXII. quando *sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere, saltare scilicet, circum vitulum libidini indulgere.* Sane in antiquorum sive Hebræorum sive gentiliū nuptiis nullas legi saltationes: novum igitur Satanæ inventum inter Christianos esse videtur; contra quod Concilium Laodicense sub annum Domini 364. cap. LIII. ita sanxit: *Non oportet Christianos ad nuptias euntes vel ballare, vel saltare, sed caste cenare vel prandere, sicut competit Christianis.* Sub eodem fere tempore in eandem pravam consuetudinem, a Græcis gentilibus invecam, multa jecit fulmina Sanctus Chrysostomus, uti hom. XII. in ep. ad Coloss. Ubi inter alia: « Matrimonium, inquit, est un-